Ibi inuenitur bdellium et lapis
onychinus. Et nomen fluuij secundi
Geon. Ipse est qui circuit omnem
terram aethiopiae. Nomen uero flumi
nis tertij: Tigris ipse uadit contra
Assyrios. Fluuius autem quartus
ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus
Deus hominem et posuit eum in pa-
radisum uoluptatis ut operaretur
et custodiret illum. Praecepitque ei di-
cens. Ex omni ligno paradisi co-
mede. de ligno autem scientiae boni
et mali ne comedas. In quacunque enim
die comederis ex eo: morte mo-
rieris. Dixit quoque Dominus Deus
Non est bonum hominem esse solum.
faciamus ei adiutorium simile sibi.
Formatis igitur Dominus Deus de
humo cunctis animantibus terrae